



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere  
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem  
libros partitum**

**Marulić, Marko**

**Coloniæ, 1532**

**VD16 M 1298**

de patientia morbi & aduersitatum. ca. 16.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35578**

Luc. 6.

Pfal. 9

Tob. 9.

4. Reg. 20  
Isa. 39.

Mat. 19

Pfal. 36.

In Luca dicitur, Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas, ne forte repetendo & raptorem irrites, & tuam in domino conturbes quaterem. Patientia enim pauperum (vt in psalmo habetur) non peribit in finem, Si tamen sine lite reparari res poterit, non prohiberis exigere, immo debes, non tam tua quam eius qui rapuit causa, ne videlicet ille alienum iniuste possidendo pereat. Nam & Tobias in deum piensissimus pecuniam sub chirographo creditam, a Gabelo exegit, neque opus reprehendi potest, quod Raphaelo angelo adiuvante peractum fuisse constat. Tunc igitur non erit rem ablatam repetendi locus cum per iram delinquendi iminet periculum. Cum hoc contigerit, tam lente ferendum erit damnum, quam suum tulit Ezechias Hierosolymarum multæ sanctitatis rex. Cum enim per prophetam didicisset, omnem gazam quæ legatis regis Babyloniorum gloriabundus ostentauerat, ad Babylonios quoque transferendam, non est animo turbatus, nec tristitia deiectus, sed voluntate domini nihil refragatus. Bonus (inquit) sermo domini, sit tantum pax & veritas in diebus meis. Quid tu tandem queris opes tibi ereptas, quas Christus dominus apostolis suis interdixit, quas plurimi vt liberius expeditiusque deo seruirent, sponte abiecerunt? Lætare potius oblatam tibi occasionem vitæ perfectioris ineundæ, dicente domino, Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Lætare quod tibi impedimenta sublata sint sequendi illum, qui sequentibus se non terrenas opes largitur, sed cælestes, non fragiles, sed æternas. Crede igitur prophetæ dicenti, Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas.

### De patientia morbi & aduersitatum. Caput xvi.

**S**I qua præterea corporis ægritudine laboras, & morbo vehementer afficeris, caue ne per impatientiam deum offendas, & grauius animo ægrotare

incipias quam corpore. Corpus hominis fictile vas est, corruptioni obnoxium, solutioni proximum, morti semper opportunum. Quod etiam si nulla aduersa infestet valetudo, senilis tamen ætas carpendo consumit. The-saurus autem in vase isto fragili animus est, quem nulla vis potest offendere præter peccatum. Peccas autem, si morbi molestiam fers impatienter. Quæ igitur de-mentia est, cum corpus languore torquetur, committe re vt etiam animus impatientiæ peste lædatur? Grati-as deo age æger, gratias age sanus, & tolerantia merito ad æternam peruenies salutem, vbi nec morbos vltra timebis, nec mortem. Hæc sunt illa duplicia, quæ acce-pisse Iob memorat, post humiliter toleratas ærumnias. **Iob.**  
 Cum enim ditissimus inter municipes suos fortunatissi-musque esset amisit simul facultates, iumenta, seruos, li-beros, omnium in suo corpore membrorum sanitatem, & tamen nihil interea stultum de ore eius prodit. sed, si bona (inquit) de manu domini accepimus, mala quare non toleramus? Dominus dedit, dominus abstulit. sicut domino placuit, ita factum est, Sit nomen domini bñ **Tobia. 2.**  
 dictum. Tobias inter omnes, qui de Samaria in Assyri-am translati fuerant, pietate notus, casu cæcus effici-tur, sed qui melius animo quam oculis cernebat, non fu-it ideo tardior in proposito virtutis, sed feruentior. O-culis captus gratias egit deo, fideliterque ei seruiens, vt antea fecerat, nihil commisit, quo ea calamitas ipsi grauis esse videretur. Flesse vero & orasse fertur Eze- **Isaia. 38.**  
 chias, non tamen ob ægritudinem in qua erat, sed propter mortem quam formidabat, incertus de dei iu-dicio. neque enim ante dicitur contristatus quam au-disset, Dispone domui tuæ, quia morte morieris tu, & **Ibidem.**  
 non viues. Præterea quam paruo nocumento sint ho-mini morbus & inopia, Lazari medici hulceribus pleni **Lazarus.**  
 exitus probauit: exiguo temporis momento miser fuit, **Lucæ. 16.**  
 si miser dici debet qui non peccat, sed mox a corpore secedens, ab angelis translatus est ad æternæ felicitatis locum, omni prorsus liber molestia, repletusq; lætitia ineffabilium bonorum. Quicquid ergo nobis ad bea-  
 h

titudinem transitoris non videtur; viam impedire,  
 tolerabile est, & iustæ querelæ causam dum virtuti ni-  
 hil officit, excludit. Ad illa veniamus, quæ falso fortui-  
 ta mala nuncupant, cum nihil sit quod non providentia  
 diuina contingat. Ea sunt terræ marisque pericula, pro-  
 scriptiones, exilia, carceres, tormenta, cædes, incendia,  
 cæteraque id genus multa. Quæ vt fortiter perferantur,  
 primo sciendū, aduersa quæque in hac vita necessario eue-  
 nire, & tam bonis quam malis esse communia; sed iustis  
 bona esse, iniustis vero mala, si modo castigari non se  
 correxerint. Porro istæ aduersitatum causæ sunt. Iu-  
 stis ideo accidunt, vt per patientiæ virtutem maiora me-  
 reantur præmia, ac ne forte prospero rerum successu e-  
 lati labantur. Vnde colaphizatus est Paulus, ne magni-  
 tudine reuelationum extolleretur: afflictī martyres, vt  
 cumulatius remunerarentur. Iniustis autem ob hoc tri-  
 stia contingunt, vt ad iustitiam reuertantur: & si re-  
 dire noluerint, iuste condemnent, æternisque mancipent  
 supplicijs, quorum duritia temporalibus contusa malis  
 mollescere nequiuit. Si aduersa pateris, & scripturæ  
 diuinæ fidem præstas, negare non potes, quod a do-  
 mino diligaris. Ego quæ amo (inquit) arguo & castigo,  
 testimonium igitur diuini erga te amoris habes, quori-  
 es aduersis concuteris, quoties calamitatum procellis  
 iactaris. Fruantur suis delicijs luxuriosi, tu vero domi-  
 no tuo placere studens, asperitatibus te exerce. Arcta  
 enim & angusta via est, quæ ducit ad salutem, lata at-  
 que ampla quæ mittit in perditionem. Hinc est quod  
 sanctissimi homines prospera mundi contemnentes, re-  
 nunciantesque præsentibus bonis, tolerant spontane-  
 am paupertatem, ieiunant, esuriunt, sitiunt, algent,  
 vigilant, orant, peregrinantur, laborant, nunquam  
 conquiescunt, vt per dura atque aspera victis volupta-  
 tum illecebris, debita virtuti præmia percipiant, & pro  
 breui afflictione æternam capiant beatitudinem. Corri-  
 piamur ergo a domino, ne cum hoc mundo damnemur.  
 Pugnemus cum calamitatibus, vt cum vicerimus, coro-  
 nemur. Nauigantium ars atque doctrina non in tran-

Paulus.

Apoca.;

quillo, sed in tempestate probatur: Militis virtus in cer-  
 ramini discrimine noscit. Christianus an deum diligat,  
 aduersitatibus experit. Nec potest esse Christi famulus, qui cum  
 illo laboriosa atque difficilia subire recusarit. Qui non  
 baiulat (inquit) crucem suam, & venit post me, non po-  
 test meus esse discipulus. Et iterum: Qui vult venire  
 post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam &  
 sequat me. Eis quoque qui in regno ipsius ad dextram  
 & sinistram suam sedere petierant, respondit: Potestis  
 bibere calicem, quem ego bibiturus sum? docens glo-  
 riæ suæ consortem fieri non debere, qui passionum sua-  
 rum se non fecerit participem. Hæc itaque crux, & hic  
 calix, sunt stigmata illa domini nostri Iesu Christi, quæ  
 se in suo copore portare Apostolus gloriabatur, dicens:  
 Usque ad hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi su-  
 mus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & labo-  
 ramus operantes manibus nostris, maledicimur, & be-  
 nedicimur, persecutionem patimur, & sustinemus, blas-  
 phemamur, & obsecramur, tanquam purgamenta hu-  
 ius mundi facti sumus, omnium peripissima usque adhuc.  
 Si qua talia tibi casu contingant, quæ multi pro Chri-  
 sto sponte subire solent, de necessitate fac voluntatem,  
 libenter cuncta sustinendo, quæ patientiam domino tuo te red-  
 ditura sit charitorem, Beatus eris si cum propheta dicere  
 poteris, Probasti cor meum deus, & visitasti nocte, igne  
 me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas, ut ma-  
 gis ad probationem tribulatio incumbat, quam ad cor-  
 rectionem; In illa enim iusti gaudent, dicentes, Quoniam  
 probasti nos deus, igne nos examinasti, sicut examina-  
 tur argentum. Et quoniam aduersitatum patientiam se-  
 quitur consolatio, Transiimus (inquit) per ignem &  
 aquam, & eduxisti nos in refrigerium.

## Quantum profint res aduersæ. Ca. XVII.

**P**rosunt igitur, non obsunt aduersa, si æquo ani-  
 mo perferantur. Si enim assuesces ferre difficilia,  
 quæ facilia sunt feres leuius. Deinde per pacien-  
 tiam aduersitatum pro delictis facimus satis, quam quæ per  
 voluptatum blandimenta perpetrant, per contrarium dolo-